

W. 534

B

NATHANIS

CHYTRAEI:

II C
1634


ENCOMIUM

GRAMMATICÆ, CARMI-

NE SCRIPTVM ET RECI-


tatum in Academia Ro-
stochiensi.

X 1378842



CVM QVIBVSDAM ALIIS

eiusdem carminibus.



ROSTOCHII

In Officina Typographica Iacobi
Transylvani.

M. D. LXV.



IOHANNES BOCERVS P. L. & I. V.
*Licentiatus Nathani Chytraeo, Collegæ
suo carissimo.*

S. P. D.

DVm canis abiectam diuinis uersibus artem,
Inuisæq; probas muncera Grammaticæ
Audijs hæc: Pindumq; lubens Othrynq; relinquens.
Hæsit in Heruleo diua benigna solo.
Hic licet & uentus, maris & grauis obstrepat unda,
Et placidæ diuæ tædia longa ferat:
Illa tamen meritæ lenita cupidine laudis,
Hæc tibi submisso poplite uerba refert,
Docte Chytræe meas alto dum carmine laudes,
Inuentiq; canis grandia dona mei,
Hoc tibi consilium uerus suggestit Apollo,
Vnus & ex multis utiliora sapis.
Quid referam nostin? mihi præmia pinguia desunt,
Te faciam docto pectore Grammaticum.

INGENIOSIS ET

OPTIMÆ SPEI ADOLE-

SCENTIBVS, BRANDANO ET

Statio à Zersted, & Casparo Kroger, In-

clytæ urbis Luneburgensis patricijs, &

Rostochiensis Academia

studiosis.

S. D.

NATHAN CHYTRAEVS.



V diuistis vt opinor adollescens
tes optimi, paucis ante diebus,
in mediocri studiosorum & do-
ctorum hominum frequentia,
breuem à me Declamationem recitari, qua
pro ingenioli mei tenuitate, necessarie il-
lius, & reliquarum artium matris Gram-
maticæ laudes illustrare, vtq; eius studium
diligentius in me ipso & alijs excitarem,
eandem studiosis adolescentibus commen-
datissimam efficere conatus sum. Ea cum
amicorum precibus, & quorundam etiam

A 2

no 18

non paruae auctoritatis virorum hortatu
motus, in lucem tandem emittere constitu-
issem, quod illis non gratificari, inhuma-
ni; his verò non parere insolentis videretur
et cogitare mecum cæpi, cuiusnam hoc mu-
nusculum maxime conueniret, et sub cuius
nomine in lucem emitti commodissime pos-
set.

Deliberanti autem mihi, et oculis
quasi aspicienti adolescentes, splendore
familiae, et egregijs etiam ingenij dotibus,
præ reliquis in nostra Schola viuentibus,
præcipue conspicuos; vos tres mihi optimæ
spei et præclaræ indolis adolescentes, pri-
mo occurristis, qui et ad hanc rem maxi-
me idonei videremini, et quibus hoc à me
officij genus, iure quodam pæne debere-
tur. Toto enim eo tempore quo in Aca-
demia Rostochiensi versamini, familiari-
tate quadam mihi coniuncti, mecum fu-
istis libentissime. Cumq; superiori anno,
vfitatas

Usitatas de versibus artificiose componen-
dis præceptiones, vna cum eruditissimo
Fastorum Ouidij opere explicarem, audis-
tores vos mihi sedulos gratosq; præbui-
stis. Tu etiam Caspare, hætenus mihi, in caris-
sima fratris D. Davidis familia conuictor,
in eadem mensa assedisti. Etiam si au-
tem hæc mei erga vos animi significatio,
leuis & perexigua sit, multiq; existimaturi
sint, non pluribus sed vni solummodo pa-
trono hos versiculos inscribi debuisse: ta-
men cum in vna eademq; vrbe, ex patricio
eiusdem familiæ ordine nati, nunc etiam in
eodem Gymnasio literis incumbentes, pari-
me benevolentia & amore complectamini:
non volui quod vobis simul à me deberetur,
alterutri à dedicando separare, aut vni par-
ti gratificando, alteram negligere.

Cum igitur ea iam consuetudo inua-
luerit, vt quos maximi facimus, atq; ama-
mus, eorum nomini insigniri nostras lucu-

A 3 brati.

cubrationes velimus: & eo ipso tempore,
quo hæc scribo, optatissimus Seruatoris
nostri Natalis, vt æternæ hominum bea-
titudinis, ita anni etiam principium iure
ducens, Ecclesiæ cum gaudio celebrandus
appropinquet: mitto ad vos munusculum
hoc chartaceum quidem & leuidentense; amo-
ris tamen significationem erga vos mei. Si-
mulq; æternum illum & perennem omnium
bonorum fontem **DEVM**, Domini no-
stri **IESV** Christi Patrem oro, vt vo-
bis cum parentibus & familia vestra, atq;
adeo tota Ecclesiæ & Republica patria,
annum sequentem felicem & prosperum esse
velit; vosq; quam diutissime florentes &
incolumes conseruet.

Cumq; in pulcherrimo virtutis &
eruditionis curriculo, iam aliquousq; pro-
gressi sitis; mea vos causa rogo, vestra au-
tem hortor, vt ingenia quæ diuinitus vos
bis

bis concessa sunt, languere sinatis minimè ;
sed inceptam, vt facitis, profectiōnem stre-
nue vrgentes, ad optatam tandem metam
peruenire studeatis. Et vt incredibilem
patriæ de vobis concitatam expectatio-
nem, qua vos parentibus olim vestris le-
tissimis viris, alijsq; familiæ eiusdem lu-
minibus similes fore sperat, sustinere pos-
sitis ac tueri; nunquam in incepto ad vir-
tutem cursu defatigemini. Musas ve-
ramq; virtutem in arduo monte habitare,
Poëtæ sapientes finxerunt: quo nemini nisi
magno cum labore, multiq; temporis sudo-
ribus peruenire liceat: & in quo ascenden-
do, alij in primo statim aditu, laborum im-
patientes deficient; in medio alij cursu rela-
bantur: alij summum tenentes fastigium
miserrime deturbentur. Pauci vero tan-
dem eluctati, cum singularis genij & for-
tunæ viris, suauissime acquiescunt.

A 4

Sapientes

Sapientes ijdem Poëtae nominauerunt
eos, qui tempestates fluctusq; maris turbu-
lentos, præruptosq; scopulos prudenter euis-
tassent: quiq; blandissimis Sirenium cantibus,
& Circes poculis contemtis, in portum
tandem optatum se resepissent. Quo
quæso quid aliud, quam vitam humanã de-
pingere voluerunt? qua nullum est fretum
difficilius, nullum æquor turbulentius. In
quo nisi Deo ipso duce, & rationis guberna-
culo vtamur; quam facile fluctuemus,
quam facile famæ & fortunarum, imo vitæ
ipsius naufragia patiamur, seniores vsu
edocti, nos ex veterum & recentiorum mo-
numenti non ignoramus. Prima enim
hominis ætas lubrica & incerta est, nec fa-
cile inueniuntur qui consistent, & iter adeo
difficile absoluant. Et sæpe bonos etiam
malorum consiliorum & exemplorum insi-
diæ, & ad deprauandum paratæ volupta-
tum illecebræ, ab honestissimo proposito ab-
ducunt.

Hæc

Hæc sunt illa, virgineo vultu, suaviq;
voce blandientia, sed perdendorum homi-
num auidissima monstra: hæ voragine il-
læ, quibus non raro incauti homines impli-
cati miserrime absorbentur. Itaq; vt
virtutis perpetuitate in adolescente nihil
rarius est, ita eadem nihil admirabilius &
prestantius cogitari aut dici potest. Per-
gite igitur vt cœpistis, adolescentes charis-
simi, & ad virtutem veramq; eruditionem
nullis difficultatibus aut blanditijs impedi-
ti, recta contendite: quæ alij in vita prima
esse putant, leuia, indecora & turpia con-
temnite. Non enim cœpisse bene lau-
dis est, nisi idem quod cœperis feliciter ab-
soluatur. In quo etiam domestica vos
exempla excitare poterunt plurimum. Au-
sonius ille, Gratiani Imperatoris magister,
nepotem suum ad virtutem & literarum
studium diligens, inflammare conatur his
versibus.

A 5

Hæc

*Hac gradiare via qua nos precessimus, ut cui
Proconsul genitor, prefectus auunculus instent.*

*Simile quid in Æneide Virgiliana de
Ascanio legitur.*

*Ecquid in antiquam virtutem animosq; viriles,
Et Pater Aeneas & auunculus excitat Hector?*

*Nonne iisdem commodissime in vobis,
si opus esset, excitandis, vestri parentes
cognatiq; vti possent? an non viam vobis
ab ipsis iam præcedentibus monstratam ani-
maduertitis, eiq; insistentes eos assequi stu-
detis? Et vt tecum primo Brandane &
cum fratre tuo Statio agam, habetis ad-
huc viuum domi parentem vestrum, virum
clarissimū & Senatorem de Musis optime
merentē D. NICOLAVM à Zerstedt;
habetis auunculum, seu honestissimæ matris
vestræ fratrem germanum, virum Magni-
ficum, & sapientissimum Iurisconsultū D.
FRANCISCVM Mutzeltinū, qui apud
Illus.*

Illustriss. Principē Brunsvicensē, ipsiusq;
fratrem Episcopum Mindensem, splendidis-
simo Cancellarij officio, longo iam tempore
functus est, & etiamnum, magna cum pru-
dentia, humanitatis, eloquentia & indu-
stria laude fungitur. Habetis item caris-
sima matris vestrae fratrem uterinum,
I. V. Doctorem celeberrimū, D HEN-
RICVM Borcholtum, cuius industria &
cōsilio patria feliciter libentissimeq; utitur,
eumq; vt incolumem diu, paruulus ille no-
bis natus & datus Iesus Christus, deinceps
etiam conseruet, studiose precatur.

Te vero Caspare, optimi viri & Sena-
toris, parentis tibi ὀμωνυμου, CASPARI
Crogeri defuncti iam memoria, & auun-
culi tui, hominis doctissimi & Senatoris
vigilantissimi LEONHARDI Toebingi
exemplū, non parum mouere possunt & de-
bent: quorum alter suorum in patriam me-
ritorum

ritorum memoriam reliquit sempiternam, alter in eandem suis consilijs & laboribus præclara beneficia conferendo, apud omnes in admiratione & honore est. Omitto iam alios familiae vestrae viros egregios, quorum vitam & mores si inspexeritis, nihil non laudabile & præclarum inuenietis, eaq; ratione ad omnem laudem facile excitabimini. Sed quo me amor vestri suavissime vobiscum colloquentem abduxerit, ipsi videtis: aliquot paginas compleri imprudens, ita ut ipsa me iam charta deserat. Valete igitur adolescentes suavissimi, & strenulam hanc, vna cum adhortatione, quæ etiam sponte sua ad meam contendentibus, iamq; appropinquantibus molesta esse minime solet, boni consulite, & parentibus cognatisq; vestris, si quando occasio dabitur, plurimam ex me salutem ascribite. Iterum valete, Rostochij anno 1564. Idib. Decemb.

Studiofis

STVDIOSIS LITERA-
RVM IN SCHOLA
Rostochiensi. S.

Pingitur uberibus plenis, & pectore nudo,
Ars ea, quæ pueros Grammata prima docet,
Quod nutrix veluti sincero pectore natum
Diligat, & puri munere lactis alat.
Donec ad ætatis mature tempora crescens,
Iam solidos possit frangere dente cibos.
Paulatim & Sophia lautas accedere mensas,
Castalioq; sitim fonte leuare queat.
Infelix quicumq; huius non ubere pastus
Nutricis, reliquas tentat adire dapes.
Nam spurius veluti, Phæbo irascente repulsam,
Passus, ad alta volans, rursus ad ima ruet.
Indignumq; putant talem sacra numina Musæ
Iure sodalitij colloquijsq; suis.
Si placet ergo veni studijs operata iuuentus,
Hora dabit solitos cras ubi Nona sonos,
Tunc tibi Grammaticæ paucis Encomia verbis,
Ex cathedra solito commemorabo loco.

Nathan Chytrens.

Iohannis

IOHANNIS BOCERI EPI
GRAMMATA ALIQVOT
de Grammatica.

Tentatam multis nulli sed rite peractam
Rem canis egregijs docte Chytree modis.
Hec rudis exortum, nullo & spectabilis usu,
Ceu nulli precium grande datura latet.
Sed fel de teneris quod crevit amarius annis.
Dulcius hybleo pectora melle fouet.

ALIVD.

Grammaticam primū summa cū Iupiter arce,
Viderat, ad superos talia verba dedit.
Non ego iam vitreos quibus æthera clauserat orbes
Nec miror Siculi corda manumq; senis.
Maior ab humana descendit acumine mentis
Ars, vix cœlicolis inuenienda meis.
Pondera, res, linguas, contractus, nomina, voces,
Ecce breues numero constituere notæ.

ALIVD.

NVda pedes, & nuda caput, tritaq; lacerna
Vidit vt hæc tristi pectore Grammatica.

Ingemuit

*Ingemuit: prisca repetens & temporis ævum,
Siccine perpetuo degeneramus? ait.
En ego quæ doctis quondam prelata Deabus,
Omnibus ut mitis mater amata fui.
Produxi largo quæ doctos ubere foetus,
Lacteq; nutriui plurima labra meo:
Quæ nunc digna meo referuntur dona labore,
Sedula quæ meriti præmia mater habet?
Me puer, & iuuenis, despecta senectaq; rugis
Spernit, & haud precio flectitur usq; meo.
Insipidum mortale genus, quo deuius error
Seuocat, à certis præcipitatq; vijs.*

ALIVD.

*Parua vocor: nec sum: quid tū? ne maxima dicar
Res nimis à prima fronte pusilla facit.
Si tamen est aliquid, sine quo res nulla videri
Magna potest, merito magna vocanda fui.*

ALIVD.

*Doctrinæ totum quæ fundamenta per orbem,
Prima loco, dicor nomine Grammatica.
Ergo mihi triplicis debetur gloria linguae,
Et quæ parua vocor, iure suprema fui.*

EIVSDEM

EIVSDEM DE GRAMMATA
TICA AENIGMATA.

Est radix, quae cum tenero decerpitur aëuo,
Mox linguam gustu ledit amara suo.
Temporis at ductu fit mel, cupidumq; palatum
Dulcius hyblæis afficit illa fauis.

ALIVD.

Fel fuit, & mel fit, totidem decerpta figuris
Radix, quot digitos utraq; palma refert.
Illa rogas quæ sit? pueros affligit & urget,
Allevat & placidos allicit illa senes.

ALIVD.

Me puer urticam primis ferus æstimat annis
Mox me purpureas collocat ante rosas.
Sic vice mutata, graue quod fuit, omne labore
Fit leue, quo discas plurima, disce pati.

ALIVD.

Flos ego Grammaticus nullo spectabilis ostro
Ante pedes passim puluerulentus agor.
Cum tamen & violas et odore sisymbria vincam,
Nec cedam vernis utilitate rosis.
Iam quotus est precio qui rem dyudicat æquo,
Quæ nisi spem fructus depereuntis habet.

ENCOMIVM

ENCOMIVM

GRAMMATICÆ SCRIP-

PTVM ET RECITATVM IN

*Academia Rostochiensi, die sol-
stitij hyberni.*

A

NATHANE

CHYTRAEO:

ET iam tēpus adest, prima, quo magnus Orion
Nocte, pedes cælū ingreditur, magnoq; labore
Sidera conscendens, alto supereminet ore.
Phæbus & aduersa cæli regione morantes
Sistit equos, noctisq; umbras producit opacæ,
Lucis & angustas cunctando contrahit horas.
Scilicet acris hiems, tremulo venit aspera gressu
Nixa pedo, canosq; fere spoliata capillos
Squalida concutitur: plena niuis undiq; veste
Stiria dependens, villis impexa coheret,
Quacūq; ingreditur, gelidos niue conspuit agros,
Eius & afflatu, pallentes arbore frondes
Et folia alta cadunt, canis aspersa pruinis,
Aut niue tecta latent immenso gramina campo.
Quin etiam dense currenti in flumine crustæ

B

Iam

Iam coeunt, nauesq̄, prius quod adire solebant,
Nunc pedibus mare p̄dit iter: sata Caurus adurit
Frigore, & in glaciem conuertit stagna rigentem.
Quam subito heu menses alisq̄, fugacibus anni
Aufugiūt, ab quam pulchras male perdimus horas
Quam subito subrepat iners & inutilis ætas.

Vere nouo, campi, frondes, & prata uirebant,
Mox etiam grauidis tellus canebat aristis,
Ipsaq̄, lux blandis ridebat amabilis auris.
Sed breuis hic uigor est, & paruo tempore durat.
Nunc ea diffugere procul, non arbore frondes,
Non herbe campo apparent, non gramina pratis,
Quodcumq̄, aspicias nix est & frigus opacum.

Non aliter misere mortalis tempora uitæ
Finit homo, puer ore uiget, mentiſq̄, sagacis
Ingenio, bene corpus habet, membra omnia florent:
Ast subito flos ille perit, non floribus impar
Quos prius insignes, subiti vis effera uenti
Deiicit atq̄, arere facit: nec redditur unquam
Quod perijt. nonne & pueros, iuuenesq̄, uirosq̄
Cursibus à tergo insequitur miseranda senectus?
Atq̄, inopina manus homini, sperataq̄, nondum
Iniicit, absunitq̄, animi cum corpore uires?
Paulatim lenta donec mors omnia falce

Demetat

Demetat, & finem rebus mortalibus addat.
O leuas iuuenum mentes, quam talia paucos
Dicta mouent, quam parua cohors florētibus annis
Utitur ut par est, accedentiq; senectē
Sternit iter prudens, serisq; viatica canis
Preparat, in studijs dum prima etate laborat.
Sunt quos luxus iners, pronoq; ignauia vultu
Detineat: sunt quos veneris uasana voluptas
Non sinat optatos virtutis scandere colles.
Vina alios, tumido ronchosq; educere naso
Post calices, nimioq; iuuat turgescere somno.
Hos sapere ante diem, rudimētaq; spernere prima,
Et subito celsas Heliconis tendere ad arces,
Precipitat, nimiumq; ausos, per saxa volutat
Ardua. sic Phaëton dum concipit ethera mente,
Paruaq; contemnit, fluuiio perit: Icarus alis
Non bene compactis dum celsior ire parente
Nititur, equoreis misere submergitur undis.

Ergo mihi tenera cum sit formanda iuuenta
Vox rudis, & Latiae praecepta salubria linguae,
Spreta quidem, vigili tamen enucleare labore
Incipiam: prius inuisa praconia dicam
Grammaticae: puerosq; omnes iuuenesq; monebo,
Quae bona, quos fructus, et quae mortalibus ars haec

B 2 Dona

Dona ferat, quantis & sit sudoribus illi
Discenda, ex studijs optatos carpere fructus
Qui velit, & docti cognomine dignus haberi.
Ut pauci, quos laudis amor generosaq; virtus
Excitat, egregia cum fruge vigentibus annis
Utantur, primaeq; artis fundamine iacto,
Paulatim celsas doctrinae educere turres
Incipiant, viteq; decus commune tueri.
Si placet his mecum studijs operata iuuentus
Percipe solerti placidè que dicimus aure,
Utq; soles, eadem sublimi mente reconde.

MVsarum, Phœbiq; decus, fidiſſima doctrix
Grāmatica, unde tuas præſenti carmine laudes
Ordiam? & dignis tua pandam munera verbis?
Tu licet à tenui tua surgat origine virtus,
Pingere dum primasq; notas & grāmata iungi
Legitima ratione iubet: tamen inde parentem
Te reliqua, matremq; artes uenerantur, et unam
Extollunt: tibi præclara puer indole florens
Nutrici veluti, primo committitur æuo,
Lactea crescenti tu præbens ubera nato,
Pascis et ad frugem tenerum perducis alumnū.

Felicem cuiunq; datum est, his tēpore iusto
Uberibusq; & lacte frui: non Cynthius illi
Castalios

Castalios haustus & pocula sacra negabit:
Non illum Aonides à sacri culmine montis
Arcebunt unquam. doctis sed mistus ibidem
Virginibus, ducet lepidas ad pleetra choreas,
Gaudiaq; & plausus Musis comitantibus edet.

At quicumq; huius non iusto tempore matris
Vbere nutritus, reliquas contendit ad artes,
Ut spurius dubio natus genitore, repulsam
Mox patitur, turpemq; refert cum clade pudorẽ.
Indignumq; putant talem castissima Musæ
Numina, Parnassi sacros qui scandere colles,
Cultor Apollineæ dici vel debeat artis.

Sic avis angustum nidum ramosq; perosa,
Ante diem implumis vasto se credere cælo,
Cum matre inuita cœpit: trepidantibus alis
Luctatur, dubias & vincere nititur auras:
Viribus ast vento inferior, mouet aere pennas
Incassum, sentitq; feri mox vulturis unguis.
Flet ramo miseranda parens, mœstasq; querelas
Integrat, & multis latè loca questibus implet.

Hic igitur durate animis, & pectore firmo
O pueri, ventura quibus laus fama; curæ est,
Hinc decus, hinc verè laudis dependet origo:
Nec prius ad reliquas studijs audacibus artes;
Tendite,

*Tendite, fundamenta prius nisi rite locata
Imposita sufferre queant bene pondera molis.*

*Sic faber ædificare domos, aut principis arces,
Si velit, ante alios bene fundamenta labores
Collocat, & lapides magnos disponit & aptat,
Arte cauernosos condensans fornicis arcus.
His positis bene, cemento gypsoq; columnas
Erigit, auratasq; trabes longo ordine ponit.
Regali surgunt ædes ad sidera luxu,
Iurgia nec Boreæ tempestate sçq; morantur.
Si male sit fundata domus: labefacta repente
Corruit, horrendumq; edit concussa fragorem.*

*Non aliter studiosa, cohors fundamina recte
Cum posuit, cupidisq; labris sacra vbera suxit
Grammaticæ: si deinde alias accedat ad artes,
Sive ea de falso verum secernere: sive
Et sapere & culta iubeat bene dicere lingua:
Aut etiam que sit rebus natura creatis,
Doctrinæue sacram aut celsi mysteria Iuris
Pandat, ut humanam vitam sustentet & ornet:
Quicquid id est, bene Grammatica fundatus in arte
Rectius, & facili perdiscere cuncta labore
Doctrinæq; potest celsos euadere colles.*

Hec

Hæc illa est, quæ sicut Atlas sustentat Olympi
Pondera, sic humeris reliquas bene sustinet artes.

Ast alij qui non primis constanter ab annis
Hoc doctrice loqui magno didicere labore,
Iuraq; verborum ignorant, normamq; loquendi:
Postmodo vel Sophiæ sacriue volumina Iuris
Aggressi, ut cæci ignota regione vagantur,
Proficiuntq; nihil, studio licet omnia tentent.
Non aliter tennes captet quis retibus auras,
Semina littoreis mandet uel stultus arenis.

Hinc alij minimas mox regrediuntur ad artes,
Pigri alij, spreto nolunt perferre labores,
Seq; libidinibus dedunt, ventriq; voraci.
Desperant alij, tenuis quibus ære crumena est,
Proq; libris clypeos, & acute cuspidis ensem,
Pro calamis hastam arripiunt, & bella sequuntur.
Post habitis aliis, lucrosa negocia, Musis
Tractat, & immiti vento se credit & undis.
Quærit opes alius nullo sudore paratas,
Et puer alludit uetula, cui nummus in arca
Tinnit, inornatas operitq; numismate rugas.
Illius imperium, seuasq; uxorius iras
Sentit, & in tacito secum conuicia lecto
Multa mouens, curis tacite luctuq; senescit.

B 4 Postillis

Postillis alius sine mentis acumine fretus,
Et compilatis sine rerum pondere verbis
Indocilis, tripliciq; valens vix grammate, scandit
Suggestum, & preter nudas disperdere voces
Nil didicit. tamen immodicus, fastuq; tumescens,
De rebus sibi propositis aliena profatur,
Et sibi de cunctis recte dixisse videtur.
Usq; adeo admissam pernix inscitia culpam
Abnegat, & veri tectam sub imagine celat.
Vel quia pigritie assuetis, tolerare labores
Haud facile est: Baccho indulget, et pocula uertunt
Pro libris scriptisq; sacris: aut ocia segnes
Semper agunt, miseram fœdant contagia plebem,
Vnde offensa graues perfert Ecclesia luctus.

Hæc dâna, hæc clades neglectâ deinde sequuntur,
Grammaticam. hanc teneris si non dilexeris annis,
Detentusq; diu ipsius complexibus hærens,
Sermonis vires longo cognoueris usu:
Postmodo nec sacris quæ sunt conscripta libellis
Percipere, aut alios poteris cum laude docere,
Verba note rerum cum sint, resq; explicet ipsas
Sermo, trahens imo deductos pectore motus.
Qui si forte rudis fuerit, raucoq; boatu
Dissonus, aut stupido tibi si sordescat in ore,
Languidus

Languidus, ipse alios qua nam ratione mouere,
Pandere vel summi poteris mysteria Christi,
Fontibus ex ipsis? an non etate priori
Religio, & sincera fides, praecunte reuixit
Grammatica? quae si voces, variasq; figuras
Perspicue proprieq; aperit, res ipsa necesse est
Clarius ut pateat, quam si dictamine chartas
Commaculans, riuos neglecto fonte sequaris.

At nunc proh dolor haec iuuenū vesania mētes
Exagitat. subito illotis manibusq; labrisq;
Iuuolitant summas artes, puerile putantes
Atq; animi rudioris opus stupidiq; morari
Grammaticae in studio, donec via certa loquendi
Cognita sit, subito alta petunt, nihil ima morantur.
Hinc veterū monumenta iacent contempta, nec illis
Iustus habetur honos. diuina poemata uatum,
Aut si quis Latiae precepta salubria linguae
Explicet, & fido velit enarrare labore,
Parietibus uacuis, & surdis carmina scamnis
Praecinit, incassumq; fere, frustra q; laborat.
Usq; adeo Ausoniae restincta est gloria linguae.
Ne tamen hoc ne quis tacitus miretur, & artem
Propterea spernat. quae sunt pulcherrima, paucis
Cognita sunt. nihil est multis commune, quod una

Præclarum esse queat. nulla ratione coibunt
Hæc duo. non igitur mirum contemnere multos
Grammaticen, quin ista decus verumq; nitorem
Illius extollunt, iusta & ratione tuentur.

Hinc alios inconcinnis quam præxima verbis
Differere audimus de relligione, piog;
Virtutum studio: & verbis audacibus ultro
Iudicium graue de magnis sibi sumere rebus,
Damnantesq; alios, censorum munere fungi
Liberius multo senibus, qui temporis usu
Sint licet edocti: studio tamen omnia pensant
Peruigili, precibusq; pijs in vota vocantes
Sæpe Deum, cautis decernunt singula verbis.

Illi autem subito edocti, pulchrè omnia norunt,
Et quia Grammaticæ ignari, quæcunq; loquuntur
Vera putant, nullosq; olim timuere magistros,
Qui cicurare animos, & mites reddere possunt:
Indormiti temere insurgunt, & dogmata fædè
Corrumpunt, rixasq; mouent, & cedere rectis
Dum sibi turpe putant monitis: pax aurea mūdū
Deserit, & lites de lana sæpe caprina
Exortæ, inuadunt totas cum gentibus vrbes.
Usq; adeo à teneris placidis assuescere pulchrū est
Moribus, & primas perdiscere gnauiter artes.

Quid

Quid tibi cunctarum propriissima nomina rerū
Commemorē? qua primus Adam preclarus in arte,
Ingenij specimen magni dedit, ipse creatis
Nomina cum rebus, tacitas pingentia vires
Attribuit, summo mundi spectante Monarcha.
Nunc ea vis ignota fere toto exulat orbe,
Cum miser infausti delinquens morsibus oris,
Obruit humanas tetra caligine mentes.
Quicquid adhuc superest ista de parte, peritus
Grammaticus sibi deberi pleno ore fatetur.
Ille rei vires tacite, velut alter Adamus
Aspicit, & cunctis concinna vocabula rebus
Attribuit, proprijsq; notis quæq; obvia signat.
Ille herbas, frutices, arbusta, legumina, fruges,
Ille domus partes, ille instrumenta periti
Artificis, volucresq; ipsas, & in æquore pisces,
Deniq; doctiloquo pulchre omnia denotat ore,
Muto alij similes, nec se nec cætera norunt.

Illum igitur summas Sophiæ perdiscere partes,
Grammatici titulo cupiat qui dignus haberi
Est opus, ut pariter res & data nomina rebus
Nouerit, & facili queat enarrare labore.

Adde

Adde quod ars eadem, quo quævis littera ductu,
Quotq̄, quibusue notis, & dictio quelibet apte
Conscribi, & docto proferrī debeat ore,
Edocet, & vocum pulcre mysteria pandit.
Quæ contra dī quam multos delinquere cernas,
Barbaries innata quibus, simul ore manuq̄,
Exerit ignavo turpes sub pectore sensus.
Ille notis illegitimis: hic ordine falso
Utitur, & certis distinguere singula punctis
Dum nescit, parit errores, & labitur ipse,
Omnia confundens tetra & caligine mergens.
Lingua alius peccat, dum producenda subinde
Corripit, aut rursus quæ corripienda, morari
Ore sinit, raucaq̄, aures stridilagine ledens,
Excitat ingratis risus aut tædia verbis.
Et quoniam teneris puerilia spreuit ab annis
Grammaticæ præcepta, senex ludibria rursus
Cogitur & merito pueriles ferre cachinnos,
Cum male vel pingit, vel non dicenda profatur.

Quid quod ab hoc etiam diuina Poetica fonte
Exoritur, quæ cum numeros hinc discit, ut apte
Quo quævis correpta loco, qua parte moretur
Syllaba scire queat, Sophiæq̄, in puluere sudat
Gnauiter, Aonium segni mox plebe relicta
Culmen adit, laudesq̄, Dei preclaraq̄, facta,

Heroum

Heroum canit, & verbis ad sidera surgit.
Hæc illa est, quæ prima suos secrevit alumnos
Sordibus à vulgi tetrîs: mox nomen & illis
Grande poëtarum tribuit, doctasq; sorores.
Es Sophiam summo venerari iussit honore.
Illi homines inter, præclaro nomine docti
Sunt habiti primo, & numeris verbisq; sonoris
Egregias complexi artes, causasq; latentes
Naturæ, astrorumq; vices, præceptaq; vite
Optima, barbariem sedes mutare coactam,
Extrusere procul blandi modulamine cantus.
Hinc feritas placidos paulatim assumere vultus,
Cæpit, & inuentas mirari protinus artes
Vulgus, & agrestes studuit dediscere mores.
Hinc leges ortæ, quas prisca ætate Solonem
Carminibus scripsisse ferunt, animosq; feroces
Flexisse ad pulcrum vere virtutis amorem.
Hinc quoq; sacrorum veterum dependet origo,
Ad cultus laudesq; dei quæ pectora vulgi
Alliciunt. Numa Martigenas hac arte Quirites,
Assuetos rigidis diuturno tempore bellis,
Mollit, assidue scriptos dum versibus hymnos
In sacris canit, & numeris concinnius utens,
Vulgi etiam lepido recreat spectacula cantu.
Hinc quoq; Rhetorice ornatum, viresq; mouendi,
Splendo-

Splendoremq̄, petit, positis & lumina verbis,
Tantus inest sacra nitor & dulcedo Poesi.
Illa rapit quo vult animos, deducit eosdem
Vnde cupit: nunc inflammat virtutis amore
Et pietate homines: scelerum nunc dedecus auget.
Hec mouet, hortatur, retrahit, deterret & arte
Incitat, accendens varios sub pectore motus.
Quaę, facit, mira arte facit, semperq̄, decori,
Pro ratione, humilis prono iam lumina vultu
Demittit, mox magnificis ad sidera verbis
Erigitur, miraę, oculis res subijcit arte.
Hec quoties aut ipse lego, recitata vel apte
Audio, mirandas sub pectore sentio flammās,
Et mihi titillari aures animusq̄, videntur.

Ergo tibi quonam vultu, diuina Poësis
Quo gestu assurgam? quo te venerabor honore?
Aut quibus extollā tua maxima munera verbis?
Aethereo tu prima Deo, mortalibus oris,
Dulcia blandiloquis cecinisti carmina linguis,
Et sacra sanxisti superum spectantia laudes.
Vnde sacerdotum, clari, te principe, vates
Nomen adhuc retinent, sacri dum cantibus oris
Et prece sidereum placant persæpe parentem.
Tu quod amet curetq̄, homines, quod premia iustis
Constituatur

Constituat, pœnasq̄ malis: quod vindice, normam
Iustitiæ, dextra, vasto tueatur in orbe:
Prima rudes docuisti homines, & gaudia cœli
Aeternum victuræ animæ, dum voce seuera
Promittis, nigrumq̄ malos de trudis in Orcum,
Allexisti homines ad sanctæ munera vitæ.

Salve igitur doctrinarum pulcherrima mater,
Salve iterum, tu perpetuo ceu flore virescens,
Inuento, scriptisq̄ tuis, & carminis arte
Sola vetustatem, & mortis fera spicula uin cis.
Tu prima è syluis homines, antrisq̄ ferarum
Extractos, faciles paulatim assumere mores,
Coniunctisq̄ casis una traducere vitam
Iussisti, & laudes summi cantare tonantis.
Per te, præteritis quid pulchre euenerit annis,
Quid male, posteritas oculis velut aspicit, & te
Reginam doctrinarum fontemq̄ salutat.
Per te rite Deum sapimus. pietatis honores,
Sanctaq̄, relligio per te seruatur, & ipsi
Grata Deo per te canimus facimusq̄, nec unquam
Nobilitas, splendorq̄ tuus, laudesq̄ peribunt.
Quin etiam summi nobis se regia cœli
Cum pandet, mixtiq̄ olim cœlestibus ipsis,
Gaudia ducemus nullis obnoxia curis:

Tu

Tu longe ante alios proceres, sanctumq; senatum,
Incedes Tyrio Chlamydem spectabilis ostro,
Aligeramq; aciem cœli perlucida duces
Atria, te cuncti præcuntem sponte sequentur,
Carminaq; & plausus, afflati numine tecum
Incipient, laudesq; canent & facta tonantis,
Et tua vox nullis unquam obscurabitur annis.

• Salve etiam dilecta parens, doctissima salve,
Grammatice, tu carminibus diuina Poësis
Que canit, una potes præstantis acumine mentis
Percipere, atq; alijs fido enarrare labore.
Te sine Cimmerijs sunt omnia plena tenebris,
Nullius & studium cum laude absoluitur artis.
Derogo nil alijs, meriti tu pondere, longe
Præcedis reliquas artes, palmamq; libenter
Hæ tibi concedunt, cum te sine, nulla manere
Incolumis, nomenq; suum laudesq; treri
Possit, & egregijs sua pandere munera verbis.
Tu nutrix, tu blanda parens, tu sedula doctrix
Artibus es cunctis. sine te consistere nulla,
Te sine nulla potest immenso viuere mundo.
Principe te quondam certis sacra biblia signis
Edita, iam totum sunt diuulgata per orbem.
Quodq; senes, iuuesq; sacros euoluere libros,

Et

Et possunt rutili mentem cognoscere cæli,
Munus id omne tuū. tu prima elementa legentem
Grata ministra doces: tu ne sacra scripta deinceps
Intereant, tu sola facis, memoriq̄ reponis
Indice, qui custos nullo delebilis æuo,
Tam paucis signata notis, paucisq̄ figuris,
Omnia conseruat venturisq̄ indicat annis.

Tu quod habet scriptas felix Respub. leges,
Quod populi frenare animos, punire nocentes,
Et decreta potest subiectis mittere terris
Cesar, & absentes que sint facienda monere,
Tu facis, inuentumq̄ tuum, quo pectoris imi
Consilia, & motus tenui depingere charta
Possumus, atq̄ oculis animi proponere sensus.
Deniq̄, quicquid id est, misera quod commoda vitæ
Augeat, & illius decus ornatumq̄ tuctur,
Grammaticæ tibi nos vni debere fatemur.
Te sine nulla fides, commercia nulla, nec ulli
Contractus aut pacta forent: ius omne periret
Officiumq̄ fori: dubias obliuia mentes,
Barbariesq̄ omnem fædè peruerteret orbem.

Sed mea forte aliquis vero non consona dicet
Carmina, cū referam dare munera tanta per orbem
Grammaticam. videatq̄ illam non cultibus ullis
C Ornatam,

Ornatam, viliq̄, toga, tritaq̄, lacerna
Contemtam spretamq̄, uti: cum splendida uestis
Hanc deceat, reliquas artes prædiuite cultu
Fulgentes, hæc cum genetrix eduxerit olim.

Præterea reliquis addictos artibus, amplis
Diuitijs opibusq̄, frui plerumq̄, videmus.
Ferre Galenus opes, fuluum dare Bartolus aurum
Dicitur, & sacra non adeo ieiuna cathedra est.
Grāmaticus macer et pallens, vixq̄, ossibus hærens,
Vestibus indutus laceris, vacuaq̄, crumena
Incedit miser, & nulli miserabilis. illum
Cum pueris ipsi oderunt per sepe parentes,
Vixq̄, sua, murem quo pascat, possidet æde.
Insuper Ausonij referunt ut carmina vatis
Felix Grammaticus non est, sed nec fuit unquam
Nec fiet: vel si felix cupit esse, relinquat
Grammaticam sterilem, lucrosa s̄q̄, inuolet artes.

Sunt ea vera nimis fateor, nec gratia digna
Pro meritis unquam contemta redditur arti.
Sæpius illa ducum celsas euexit ad arces
Discipulum, gemmisq̄, illum decorauit & auro:
Ad summos alium placide perduxit honores,
Qui tamen immemores doctæ non premia matri
Retribuere unquam. sacris hoc tempore Musis
Talis

Talis habetur honos, ipsorum ut semper alumnos
Non magna comitentur opes. Non attamen omnes
Anxia paupertas duro quos pondere pressos
Detinet, in ludo pueris dum grammata tradunt:
Grammaticen culpae velim sterilemque cathedram.
Sunt meriti quos culpa sur, sunt improba vita
Quos premit, & duro cruciatus verberare cedit.
Illi cum teneros ignaue & turpiter annos
Finierint, non immeritas pro crimine poenas
Desidia luxusque ferunt: nullosque labores
In studijs quicumque tulit, nec fructibus ille
Dignus erit, meritoque suo miser est, & habetur.
Non ea Grammatica, quam nescit, culpa vocanda est.

Sed neque Grammatici praclaro nomine dignos
Illos esse puto, vite qui tempus & annos,
Rebus inutilibus, nugisque & murmure vano
Traducunt, veterum dum clara poemata vatum
Enarrant, nervosque rei viresque latentes
Pretereunt: veluti Latios cum classe relicta
Aeneas tetigisset agros, prior anne sinistro,
An dextro, vel utroque simul pede, litore curuo
Institerit. Siculis vel cum discederet oris,
Quot quantosque cados vini donarit Acestes
Aeneae, aut dubijs dederit quae fercula mensis.

C 2 Sine

Sunt ea vana nimis, laudesq; & nomina vatum,
Qui grauiora docent, atq; utiliora iuuentam,
Deformant, doctis & sunt indigna magistris.

Sunt alij, qui cum propria clarescere laude
Non possunt, veteres mordaci dente Poetas
Censuris lacerare suis & murmure gaudent.
Sic satur & potus qui Saturnalia scripsit,
Diuerso natus caelo, velut ipse fatetur,
Virgilium Phœbi sobolem (si Dijs placet) ore
Insulso arrodens, plena inter pocula damnat:
Sic alios alij mordent, quos indiga laudis
Vita premit, queruntq; atro sibi nomina dente.
Ast Elephas culicis strepitus & spicula ridet.

Nec mihi Grammatici sit nomine dignus habendus
Qui studio, exemplisq; suis, vitaq; decenti
Cum nequeat formare animos moresq; iuuenta,
Ipse rudis, iussisq; suis contrarius ipse:
Mox sine iudicio, leuia ob commissa, furorem
Induit, & tetros veluti seuiret in hostes
Ingenuos flagris pueros & verberare cogit
Dura pati, quibus ipse tamen virtutibus impar
Aut raro est melior. studiorum in limine primo
Hinc puer imprudens, tanta & dulcedinis expers
Deficit, egregiumq; animo nihil amplius audet,
Aonidesq;

Aonidesq; ipsae flentes, aegraq; recedunt,
Dum turbam inualidam, tetrico implacabilis ore,
Ille ferox terret, seuisq; immanior ur̄sis
Imperio inuiso gaudet, fædoq; labore.

Hoc tamen ingenuos pueros ego carmiue laudo,
Qui monitis animos ultro submittere gaudent.
Non alios asinis similes, procedere nunquam
Quos videas, nisi verberibus protrudat agaso
Cessantes, semperq; flagris & fustibus instet.
Et sine iudicio plagosum culpo magistrum,
Non alium pueris qui pœnas irroget æquas,
Et cupiat potius virtutem propter amari
Quam metui, tantumq; flagris sua regna tueri.

Si quis in hoc numero fatis cruciatur acerbis,
Non artem incuset, proprie sed crimina vite.
Grammaticam si quis discat iuuenilibus annis
Gnauiter, & placide magnos tolerare labores
Non fugiat (cupide si non nimis alta sequatur
Sed media possit contentus degere sorte)
Quod satis est, simul & vite quas postulat usus,
Semper habebit opes, animo quibus ille quieto,
Sedatoq; bonis poterit presentibus uti,
Fructum percipiens dulcem radicis amare.
Crescentes comitatur opes metus, & labor ingens,

C 3 Maiorum

Maiorumq; fames: poscenti multa, necesse est
Plura deesse viro: felix cui numina parca
Quod satis est tribuere manu, vultuq; benigno.
Magna tenet, quæ parua iuuant. petit alter honores,
Diuitias alij, predaſq; sequuntur, & amplas
Inter opes inopes, placidi non munere somni
Utuntur, metuuntq; manus & spicula furum,
Inuentisq; timent opibus frugaliter uti.
Conſcendunt alij magnorum limina regum,
Quos rota fortunæ celeri vertigine raptos
Euehit, & summo ſublatoſ vertice ſiſtit.
Cumq; putant manibus regum ſe corda tenere,
Sortis & immemores, criſtas & cornua ſumunt:
Inſtabilis rota fortunæ mox ruruſus eorudem
Deiicit, ut damno deriſi dedecus addant.

Perpetuos ita dum metuunt ſublimia caſus,
Grammaticus paruiſ diues cum compare rebus,
Liber ab inuidia viuit, placidamq; quietem
Letuſ agit, tenuiq; parum quia poſſidet arca,
Non timet inſidias: atq; ima ſede locatuſ,
Iurgia non venti tempeſtateſq; moratur,
Sorteq; contentuſ propria nihil ampliuſ optat.
Illum admirantur pueri, quibuſ imperat, illum

Obſer-

Observant, regnoq̄ suo felicior, ipsis
Regibus esse, pedum gestans sublime, videtur.

Sed breue tempus ea de re me dicere plura
Non sinit, & pulcrum per se rem tollere verbis
Non decet. ergo tibi si res est publica cura
O puer, aut lacero plorans Ecclesia vultu
Te mouet: aut Sophiæ quidquam suspiria possunt.
Inuigila studijs, & mox florentibus annis,
Dum vacat, ingenijq̄ valent cum corpores vires,
Vbere Grammatices & puro pascere lacte.
Nec pudeat mentem paruis intendere rebus,
Queis sine, magna suum nequeunt retinere vigore.
Nam volat assidue, volat irreuocabilis ætas,
Nec vigor hic diuturnus erit, longumq̄ manebit.
Pallida vt in syluis autumnii frigore primo
Lapsa cadunt folia, & frondes cernuntur inanes:
Sic subito flos ingenij puerilis, & omnis
Decidit, arefcitq̄ vigor. quin hæc quoq̄ morti
Nos hora adiunxit propius, canaq̄ senectæ.
Ergo laborando venientes vincite sordes,
Fortiaq̄ aduersis opponite pectora telis
Barbariæ, dum tempus adest & nobilis ætas.
Dimidium, bene qui cæpit, totius habere

Dicitur

Dicitur, hic animis opus est, hic robore firmo,
Ut bene cœpta, bono claudantur singula fine.

Sed tu Christe potens, cuius sine numine nemo
Viuere, nemo potest cœptos finire labores
Vtiliter, præsens nostris in mentibus adsis,
Ut tibi grata, tuas tantum spectantia laudes
Discamus, factisq; ipsis vitaq; probeamus,
Et tandem supera tecum letemur in arce.

Nunc quoq; finitimas spectant ubi Baltica gentes
Litora, dum vario grassantur bella tumultu,
Armorumq; sonus doctarum plectra sororum
Impedit, & Phœbum pæne obmutescere cogit:
Multa quoq; horrendas clades dum signa minantur
Iam strepitus cœli longe, iam murmur Olympo
Misceri audimus: venti noua prelia tentant,
Atq; insueta prius: iam serpunt undiq; dire
Morborum pestes: de religione tumultus
Impia gens odijs & plena cupidine regni
Excitat, unde graues perfert Ecclesia luctus:
Undiq; bella sonant, rauco & Mauortia cantu
Classica, militibus terras atq; equora complent:
Arrige Christe tuas miseris mortalibus aures,
Teutoniæq; libens iam nunc miserere ruentis,
Cui, nisi tu fueris, iam tristia queq; minantur
Omnia, & exitium miserabile iam portendunt.

Ergo

Ergo iuua, pie Christe iuua, miserere tuorum,
Semper & inuicto turbatas robore mentes
Erige, lucifugi uasfro ne demonis astu
Succumbant. heu quot nobis, quot retia tendit,
Quot laqueos Sathanas, quos nemo euadere, nemo
Euitare potest, medio in certamine fessis
Tu nisi succurras, atq; irrita robora uincas.
Tu fac ut mentes coeant, tu pace ligatos
Concilia regumq; animos, Martisq; furorem
Comprime, quo fessis sint otia libera Musis,
Et uigeant puri semper mysteria uerbi.
Sic tibi dulcisonis dicemus carmina linguis,
Sit tibi laus, tibi summus honos, tibi gloria. Dixi.

DE MISERIIS GRAM-
maticorum.

A V S O N I V S.

Felix Grammaticus non est, sed nec fuit unquam,
Nec quisquam est felix nomine Grammaticus.
Vel si quis felix praeter fatum extitit unquam,
Is demum excessit Grammaticos Canonas.

C 5 R E V E.

REVERENDO
ET DOCTISSIMO VIRO,
pietate & eruditione præstanti M. Eber-
ardo Ouermanno, Pastori Ecclesiæ in
inçlyta vrbe Luneburgensi, Præ-
ceptoris suo obseruando.

DVm modo finito veteri, nouus incipit annus,
Docte vir, & sacri dux Eberarde chori:
Has tibi mitto preces grate pro munere strenæ,
Conueniunt vitæ talia dona tuæ:
Quin eadem mihi conueniunt, tu namq; docendo,
Ast ego submisso carmine laudo Deum.
Principio, his, anni placato numine votis,
Illius & felix postmodo finis erit.
Possideant alij multos cum fœnore nummos,
Aut teneant valida regia sceptrâ manu:
Ditior ille sacri laudat qui facta tonantis,
Ditior ille preces qui bene fundet, erit.

MEDITA

MEDITATIO ORATIO
nis Dominice.

O Pater aetherei fulgentia sidera cœli
Qui regis, & veri fons & origo boni es,
Propter et unigenam, natum de virgine, Christū,
Filiolos dicis nos pater esse tuos.
Quiq; iubes homines, à te bona cuncta precari,
Hisq; potes solus ferre rogatus opem:
Huc ades & miseras natorum percipe voces,
Quodq; potes certum pondus habere iube.
O pater in miseris, pater o carissime terris
Viuimus heu nati turba misella tui.
Hic sumus extorres, nec debita regna tenemus,
Nos premit exiliū seruitūq; iugum.
Da pater ut quondam terrena mole relicta,
In cœlo patrias possideamus opes.
Dum tamen in misera uobis tellure manendū est,
Sanctificent homines nomen ubiq; tuum.
Fac sacra spargantur diuini semina verbi,
Fac iuxta hoc omni tempore uiuat homo.
Doctores tu pelle malos, falsosq; Prophetas,
Corrumpunt verbi qui sacra dona tui.
Adueniant tua regna Deus, tibi collige cœtum,
Qui tua iussa fide non dubitante colat.

Et

Et nos magne tuos semper rex esse ministros,
Et pariter regni membra fac esse tui.
Tu Sathana seuosq; hominum compesce furores,
Regno qui cupiunt saepe nocere tuo.
Ultimus ille dies veniat cito maxime Christe,
Est graue iudicium quo subiturus homo,
Tunc tua regna Deus iusti sine fine tenebunt.
Sentiet & pœnas impia turba graues.
Regnet & in terris semper tua Christe voluntas,
Regnat ut aethereis inuiolata thronis.
Rebus in aduersis homines, rebusq; secundis,
Obseruent legis iussa seuera tua.
Cumq; premis meritis populos pater optime pœnis,
Impositum tolerent fac patienter onus.
In Phlegetontæis pereat gens impia flammis,
Quæq; voluntati sunt inimica tuae.
Et quia multa nimis mortalis vita requirit,
Care pater soboli des alimenta tuae.
Floreat in nostris semper pax aurea terris,
Sint inimicitiae, sint mala bella procul.
Proferat alma suas tellus cum fœnore fruges,
Firmaq; consuetum corpora robur alat.
Tu patriam, patriæq; duces, tu templa, Scholâsq;
Tu tege presidys mœnia nostra tuis.
Dicere perpetuas, tranquillo ut tempore grates
Tutius & possint te celebrare tui.

O pater

O pater immunda lapsus non aspice vita,
Reprime iustitiae tela seuera tue.
Vita hominum misere peccati labe notata est,
Vita hominum plena est crimine, plena malis.
Hæc ignosce tuæ pater o carissime genti,
Tu quia propitius, non quia dignus ego.
Filius ipse tuus propria nos morte redemit,
Nos & in æthereas transtulit ipse plagas.
Debita nos alijs ex corde remittimus ultro,
Rursus & ad veniam turba parata sumus.
Demonis infirmas nunquam tentatio mentes
Vexet, & ad Stygios nos trahat arte lacus.
Semper nos tua dextra tegat, Sathanamq; ferocem
Pellat, ut afflatus nos regat aura tui.
Ne mens cæca tuo faciat contraria verbo,
Et sic in pœnas exitiumq; ruat.
Ex misere Deus alme malis nos eripe vita,
Nominis & patrij, mi pater, esto memor.
Mi pater esto memor nostri, iustumq; furorem
Comprime, ne Sathanas nos sine fine premat.
Et cum summa dies supremaq; venerit hora,
Spiritus & fugiet corporis ossa mei:
Respice me mihi pater o blandissime vultu,
Exere siderea de regione manum.
Huic animã commendo meam, pater optime, felix
Semper & in manibus tuta sit illa tuis.

Hæc

Hec quia cuncta iubes à te bona Christe precari,
Esq; quia verax & sine fraude Deus:
Credimus has certo te suscepisse querelas,
Et firmum nostras pondus habere preces.
Christe accende novos languenti in pectore motus,
Inq; tua crescat cognitione fides.
Sic tibi magnanimo credentes pectore, vocem
Addemus fidei non dubitantis, Amen.

PRECATIO IN PVBLICA
GRADVS THEOLOGICI RENVN-
ciatione, à puero recitata.

CHRISTUS in his terris sacrum sibi colligit agmē,
Quod vera semper se pietate colat.
Atq; ideo superas victor conscendit ad arces,
Patris & ad dextram confidet ille sui,
Mittat ut in terras doctores atq; ministros,
Qui spargant verbi semina sacra sui.
Et doceant homines quam ratione placere,
Et sua qui possint facta probare Deo.
Hos & ad aeterna perducant gaudia vite,
Gaudia que cunctis sunt reparata pijs.
Primus & in terris Doctor, primusq; sacerdos,
Non dedignatur Filius esse Dei.

Ille

Ille suo lapsu verbo recreavit Adamum,
Cum de venturo semine grata canit:
Hoc venerandus Abel gratum de semine verbum
Sparsit, & ex illo dona salutis habet.
Post hunc terdecimo sequitur Seth nobilis anno,
Qui verum docuit, praeo, salutis iter.
Inde triumphali translatus ad aethera curru
Adfuit, & mirae vir pietatis Enoch.
Mox Noas, Abraham, Ioseph, Moysesq; secuti
Erudiere Dei cum pietate gregem.
Hinc pius Helcanides venit, sanctusq; Dauides,
Quosq; Prophetarum continet ordo viros.
Mox pie Christe subis, qui primus & ultimus orbi
Et pariter medio tempore Doctor ades:
Mittis Apostolicum prono tu numine caetum,
Post te qui verbum sparsit in orbe tuum.
Discipulosq; illis dociles das atq; fideles,
Postmodo qui populos erudire tuos.
Sic Deus à prima donavit origine mundi,
Doctores populo, premia magna, suo.
Horum doctrinam constanti mente sequuntur,
Atq; docent, celebres hi pietate viri.
Oro igitur te gnate Dei, spes una tuorum,
Spernere non hominum qui pia vota soles.
Hos ut Doctores doceas, semperq; gubernes,
Promoveasq; illos flaminis igne tui.

Ve

Vt multis dirina locis mysteria spargant,
Atq; exempla suo sint imitanda gregi.
Et multos superi ducant ad culmen Olympi,
Perpetuo vernans hic Paradisus erit.
Hanc dum terreno mortales orbe morantur,
Exornent plantis germinibusq; nouis.
Ipsi etiam superi post mortem gaudia cæli
Possideant, reliquo mox comitante grege.

PRECATIO IN PVBLICA
gradus Philosophici renunciatione
pronunciata.

CHRISTE Deus, fons doctrine, sapientia mundi
Vnica, sidereo profers qui mitis Olympo,
Notitiam patris æterni, vitamq; perennem.
Solus & ingenuas, patronus idoneus artes,
Cumq; Scholis Vrbes & Tempia Domoſq; tueris.
Quis tibi pro summis dignas persolvere grates
Muneribus queat? inter nos quod lumine verbi,
Que tua iussa colant, & te reuerenter adorent,
Agmina conseruas, summi quibus atria cæli
Donabis misera post dura pericula vite:
Quod linguas, artesq; sacras, Ecclesia quorum
Auxilio

Auxilio viget, instauras, & in vrbe Rosarum
Hospitium studijs gratum concedis, ut olim
Elie cum tota fame Iudæa periret,
Littore Sidonio sedem victumq; dedisti.
Et quamuis varias mereantur crimina pœnas:
Quod dextra tamen alma tuæ nos protegit umbra,
Vincit & innumeros hominum, tua gratia, lapsus.
O Soboles patris æterni, dulcissime Iesu,
Tu rege cælesti mortalia pectora motu,
Ut tibi pro tantis præconia debita donis
Perpetuo dicant, studiorum protege lucem
Accensam, recte quæ norma & regula vitæ est,
Munus & ex ipso venit admirabile cælo.
Dirige curriculum mortalis flebile vitæ,
Luce Deus, verboq; tuo, tibi dicere grata,
Et facere, æthereo ut pleni possimus amore,
Et superi tecum fastigia scandere cæli.
Hos etiam iuvenes castè tua iussa sequentes,
Sacra magisterij quibus imponenda corona est,
Cum Sophiæ studijs solerti mente vacarint:
Tu rege promisso diuini numine flatus,
Ut tua nobiscum celebrent benefacta, tibiq;
Grata per immensum fiant quam plurima mundū.

D QVERE-

*QVÆRELÆ ET PRÆCA-
tio D. M. Lutheri ex Germanico
reddita.*

O *Æterne Deus, quantis oppressa ruinis
Gens tua, quam misere dilacerata iacet.
Quam misere grex Christe tuus desertus oberrat,
Quam vastata graui gens tua clade gemit.
Scilicet extremi veniunt iam temporis anni,
Fulmina sunt ire quo metuenda tue.
Doctores seductorum, patresq; latronum
Pectora iam, spreto iure fideq;, gerunt.
Pastores queis cura tui mandatur ouilis,
Exuperant ipsos iam feritate lupos.
Custodire suos vigili quos mente decebat,
Iam perdunt miserum proditione gregem.
Qui defensorum titulis & nomine gaudent,
Ipsis peiores hostibus esse liquet.
O Deus, o dilecte parens, quo tempore? quando?
Quando iudicij desinet ira tui.*

AD

AD IESVM CHRISTVM
Dei & virginis Filium, Dominum &
Saluatorem nostrum, preces
die Natali Anni

1564.

CHriste tuus Natalis adest, dulcissima rursum
Gaudia mortales qui renouare iubet.
Eijce sollicito vanas è pectore curas
Quisquis es, & leto concipe corde preces.
En hæc illa dies, atrî qua regia Ditis
Diruta non vires exeret inde suas.
En hæc illa dies, alti qua regia cæli
Panditur, & nati dicimur esse Dei.
O mellite puer, puer ò dulcissime Iesu,
Qui natus, nostræ causa salutis, homo es,
Quis te tantus amor, quæ tam te prona voluntas
Mittit ab æthereis ad mala tanta plagis?
Tu Dominus, Rex & Regum, mundiq; creator,
Aequæuus summo consimilisq; patri,
Siccine siderei fastigia linquere cæli,
Ponere & in stabulo membra tenella potes.

D 2

Scilicet

Scilicet irati iustissima regula patris,
Perstat & æternum viuuda robur habet.
Nec, nisi sufficiens compenset crimina λύτρον,
Flectitur, aut miseris parcat amica reis.
Hinc nos tartarei tenebrosum demonis antrum,
Perpetuo & Stygiæ pœna manebat aquæ.
Sed tu sancte puer supplex placare parentem
Dum cupis, adiungis te mihi, meq; tibi.
Factaq; temperies, miro pulcherrima nexu,
Iustitiæ, summi cum bonitate patris
Rursus ad excelsi mortales atria cœli
Ducit, & in supera dat regione locum.
Salue sancte puer, salue pulcherrime Iesu,
Vnica tu nobis spes, via, vita, salus.
Tu deturbatos summi nos culmine cœli,
Sanguine restituis viuificasq; tuo.
Sancte puer, miserere mei, tuus ecce minister
Pauper & afflicto corde precatur opem.
Respice me mitiq; animo, vultuq; sereno,
Vt puer es, pueri sic quoq; pectus habe.
Sum miser & fateor, quid enim mea crimina cœlæ,
Cum pateant oculis omnia facta tuis.
Multa ego commisi peruersis crimina factis,
Quæ Phlegetontæo carcere digna forent.

Nulla

Nulla adeo precepta tuæ sunt tradita legis,
Quæ non criminibus sint violata meis.
Nulla in me pietas, nullus timor, omnia læuo
Pectore iudicij negligo tela tui.
Non mea turbatis solum fiducia rebus
Te videt, aut à te credula sperat opem,
Tollit at elatam ventosa superbia mentem,
Qua tibi nil toto displicet orbe magis.
Non tibi fundo preces, stupido tibi pectore grates
Non cano, lingua suum nec mala munus obit.
Concio sacra meas raro pertingit ad aures,
Nulla mihi sancti cura ministerij.
Non patriæ ut par est patres, carosq; parentes
Illorum aut veneror qui subiere vices.
Sæpe simultates dubiam commotus ad iram
Pasco, nec ad veniam pectora prona gero.
Sæpe cupido, leui mea pectora sauciat arcu,
Vincere nec labor hunc sobrietasq; student.
Deniq; quicquid agam pecco: naturaq; tota est
Nil nisi peccatis sordida massa suis.
Momentis igitur cunctis me vindice posses
Supplicio in Stygios præcipitare lacus.
Sed tu parce meæ puer o blandissime culpæ,
Parce, nec iratæ spicula prome manus.

Tu

Tu Deus & Rex es noster, tu verus Iesus,
Tu spes, tu summis ancora sacra malis.
Tu robur certum, tu consolatio, tu lux,
Tu desiderij maxima cura mei.
Erige me placido puer acceptissime vultu,
Me rege blanditijs exhilaresq; tuis.
Sum miser, indignus, peccati mole grauatus,
Hoc tamen vt fatear, sum maneoq; tuus.
Sum maneoq; tuus, tu me puer alme creasti,
Tu quo confugiam solus & vnus eris.
Nam mea si reprobis vultu tu vota seuero,
Quo fugiam, tutum quis mihi monstret iter?
Tu si nosse neges miserum, solatia mæstus
Vnde feram? cordi quod medicamen erit?
Sim licet impurus nec tanto munere dignus,
Auxilijs potero purior esse tuis.
Sim licet infirmus, tua Christe potentia maior,
Quam totus quicquid roboris orbis habet.
Sim cæcus, tu Christe potes mihi reddere visum,
A Egro tu medicam ferre paratus opem.
Sim malus, at bonitas tua Christe & gratia maior,
Sarcina peccati quam foret vlla mei.
Multa licet peccem, tu plura remittere pronus,
Suauiter ad veniam corda parata geris.

Non

Non igitur cures, quæ quantaq; crimina lapsus
Admittam, aut quanta te pietate colam.
Sed tantum miserere mei, iustiq; furoris
Immemor, ad nostras respice quæso preces.
Scilicet ipse tuis veraci numine iuras,
Viuo ego nolo necem suppliciumq; rei.
Sed potius veniam mutata ut mente priori
Poscat, & ætherei uiuat in arce patris.
Ecce reuertor ego, tu Christe reuertere rursus,
Afflatuq; tuo fumida lina fove.
Quod fragile abiectūq; vides non contere prorsus,
Quassata auxilijs crescat arundo tuis.
Hospitium puer alme humilis non despice cordis,
Hic tibi sit requies, hic tibi grata domus.
Et tua cum densas feriet tuba cantibus auras,
Et leuis hoc mundi flamma resoluet opus,
Hanc animam rutili tecum fer ad atria cæli,
Tuta sit in manibus semper ut illa tuis.

PRECA

PRECATIO AD PVERVM
Saluatorem Iesum Christum, in ferijs
Natalicijs annum 1565 inchoan-
tibus, scripta & recitata.

CHare puer, dilecte puer, blandissime Iesu,
Qui nobis iam natus homo, prae sepe tenellis
Molliculisq; premis membris: dum limina lustrans
Singula, non superesse locum tibi mater anhela,
Sentit & in stabulo uentos & frigora perfert.
Huc ades, hospitiumq; mei non despice cordis,
En ego te excipioq; libens, crebroq; vocatum
Expeto. blande puer non dedignare vocantem.
Huc huc mitis ades, collo & puerilia nectens
Brachia, me risuq; tuo vultuq; venusto
Reffice, & optatam capias in corde quietem.
O mihi quam gratus, quam crebra voce petitus
Hospes eris, quam te studiosa mente fouebo:
Quam tibi grata libens faciã dicamq;, nec unquã
Flaminis auxilio sacri mea corda relinques.
Tu sanguis fraterq; meus, Rex aetheris idem,
Induis humani pueriles corporis artus,
Par mihi, consimilisq; puer. vereq; vocaris
Immanuel meus, & consors sociusq; laborum.

Hoc

Hoc igitur vite socio, & consorte triumphans,
Spicula iam, mortisq; minas, & iurgia legis
Curo nihil, Sathanae patulos derideo rictus.
Si placet, en minimū mihi curua in vertice crinē,
Sæue Sathan, rabiemq; tuam fædo exere vultu.
Nil ego te furiasq; tuas moror. ille puellus,
Paruulus ille, tuas vel nutu conteret iras,
Maior hic est toto, licet omnia contegat, orbe.
Huic ego confido, huic toto me pectore dedo,
Ille caro de carne mea, de sanguine sanguis,
Huic sine fine cano grates, hoc gloriōr vno.
Si potes, hunc contra conceptas exere flammās.
Si tua vis totum potuit sibi subdere mundum,
Cur adeo pueri exhorres puerilibus armis?
Si potes hunc puerum commissis opprime telis.
Sed tu sancte puer, misero qui natus in orbe,
Es soboles hominis, cælestis ut ipse parentis
Filius efficerer: qui pauper in orbe fuisti,
Ut mihi diuitias & gaudia vera parares:
Natus & in serui forma spretusq; fuisti,
Ut liber dominusq; forem: qui corpore cinctus
Mortali es, repares mihi quo cælestia vite
Gaudia: submisso veras tibi pectore grates
Dū cano, mitis ades, prono & mihi numine mentē
Illustra, ut tibi grata, tuas spectantia laudes

Et

Et loquar & faciam, crudelesq; impiger hostes,
Cum suprema dies fatiq; aduenerit hora,
Nil metuam, placidisq; animis te glorier uno,
Læta Tyrannorum ut rabiem patientia vincat.

DE ECLIPSI SOLIS QVÆ
anno 1563, Mensis Iunij die 20, hora 5
pomeridiana conspecta est.

ELEGIA.

PHœbus ut ingentem diffuso lumine mundum
Recreat, & radio uiuificante fouet:
Sic sol iustitiæ Christus, nos lumine uerbi,
Diuinaq; sui cognitione beat.
Solq; uelut medio uultus obuelat Olympo,
In cruce dum Christus sanguinolentus obit.
Ne scelus aspiciat mundi, tantosq; furores,
Duraq; Iudæos fata manere notet:
Sic quoq; securi iam nunc petulantia mundi
Turpiter extincta dum pietate furit:
Occulit in summo faciem sol tristis Olympo
Et tenebris pœnas non procul esse monet.
Scilicet informi cœlestia dogmata nocte
Obruta, dissidijs & labefacta ruent.
Concutiet truculenta suum Bellona flagellum,
Regnaq; mutata conditione gement.

Crescet

Crescet & annonæ precium, miserandaq; multos
Terribilem coget pestis adire necem.
Cynthius ipse domo iam religionis abiuit,
Quam cum falcigero cauda Draconis habet,
Inq; domo mortis radios lucemq; priorem
Contegit, & vultu deficiente latet.
Callidus huic fraudum structor Cyllenius astat,
Furtaq; cum technis insidiosa struit.
Impius & Phœbum quadrato cuspide Mauors,
Aspicit, & diras euomit ore minas.
Ut reor hæc cœli facies positusq;, Periclis
Tempore, quo Phœbum Cynthia texit, erat.
Nam dira cum peste famem, stragemq; cruentam
Bellaq; Thucydides esse secuta refert.
Talia signa Deus nobis proponit, ut iram
Ipse suam mundo iudiciumq; probet.
Quæ qui uana putant, se mox errasse uidebunt,
Mixta ubi cum turpi damna pudore ferent.
Ergo Deum pietas, sanctæq; modestia uitæ
Et studeant castæ conciliare preces.
Officijq; sui quiuis ratione laboret,
Ingenijq; Deo dedicet acta sui,
Sic Deus assidue cœptos reget ipse labores
Atq; opus ad laudem diriget omne suam.

H Y M N U S

H Y M N V S A N A =
P Æ S T I C V S D E S A N C T I S
A N G E L I S, Q V A L I S E S T P R V =
d e n t i j, I a m m æ s t a q u i e s c e
q u e r e l a.

T O t o D e u s o p t i m e g r a t e s
L æ t u s t i b i p e c t o r e d i c o,
Q u o d f l a m m e a t u r b a m i n i s t r a t
M i s e r o m i b i, m e q̄ t u e t u r.

O t e r q̄ q u a t e r q̄ b e a t o s,
M a g n i q u i b u s a r b i t e r o r b i s
T a m p u l c r a l u c e m i c a n t e s
V o l u i t s e r u i r e m i n i s t r o s.

S a t h a n æ f u r o r i m m i n e t o m n i
M i b i t e m p o r e, s e d u l u s i l l e
N o c t e s q̄ d i e s q̄ v a g a t u r,
R a b i d o v t m e d e u o r e t o r e.

Animus

*Animus cum corpore noster
Iam dudum extinctus obisset:
Nisi cunctis angelus horis
Mibi duxq; comesq; fuisset.*

*Totum Draco sæuus in orbem,
Odijs immanibus ardet,
Cupiens sacra templa domosq;
Et vertere funditus vrbes.*

*Quod si non Angelus, amplo,
Defenderet, agmine facto,
Populum fidosq; ministros,
Homines draco perderet omnes.*

*Igitur pro munere tanto,
Tenui tibi carmine grates
Hodiernæ tempore lucis
Cunctis dicemus & annis.*

*Duce te sic Christe deinceps
Viua, vt chorus ille libenter*

Adsit

*Adsit mihi meq; gubernet,
Nec eum mea crimina pellant.*

*Facili sic carmine quondam,
Cœlesti sede receptus,
Cantu præeuntibus illis,
Tecum celebrabo parentem.*

Amen.

Nathan Chytreus.



Q 17c 1634

17 1²



Q. 534

NATHANIS


CHYTRAEI:

II c
1634

ENCOMIUM
GRAMMATICÆ, CARMI-
NE SCRIPTVM ET RECI-

tatum in Academia Ro-
stochiensis.

X 1378842



CVM QVIBVSDAM ALIIS
eiusdem carminibus.



ROSTOCHII

In Officina Typographica Iacobi
Transyluani.

M. D. LXV.

